

LXXXIV, 14). Sicut enim Joannes Jesum, sic poenitentia gratiam praecedat; illam scilicet gratiam, qua post satisfactionem reconciliati, suscipimur in osculo pacis. In hac siquidem poenitentiae via, grato atque hilari ocurso obviant sibi, seseque osculantur justitia et pax; justitia scilicet hominis se punientis, et pax Dei ignoscentis: laetumque ac jucundum celebrant in osculo sancto foedus reconciliationis. Denique ne parvi aestimetur meriti haec justitiae hominis de semetipso facientis judicium et justitiam, neve orationum, et vota pigrorum se laboribus poenitentium comparare praesument; quid de ipsa Salomon sentiat; audiant: *Initium*, inquit, *viae* **920** *bonae, facere justa: accepta autem Deo magis, quam immolare hostias* (Prov. xvi, 5). Si ergo videris hominem huic poenitentiae professum, regularibus ac sanctis laboribus, quorum debitor est, singulares orationes praefertentem; ingere ei hanc Sapientis sententiam: *Initium viae bonae, facere justa: accepta autem magis Deo quam immolare hostias*. Similiter, si videris hominem, adversus quem frater suus aliquid habet, munus seu laudum, seu sacramentorum, ad altare offerentem; repete ei nihilominus eundem sermonem: *Initium viae bonae, facere justa, ut fratri reconcilieris: accepta autem Deo magis quam immolare hostias*. Nam et illo etiam spectat haec sententia, ut daturus elemosynam, prius, si quem defraudavit, vel simplicum restituat. Sic et tu quoque voluntaria oris tui beneficia nullatenus Deo esse credideris, illa scilicet quae in psalmis, vel in orationibus secretis ei obtuleris; si propterea canonem psalmodum ex Regula constitutum negligentius exsolveris. Nonne, si recte offeras, et non recte divides peccasti? (Gen. iii, sec. LXX.) *Rectas*, inquit, *facite semitas ejus* (Matth. iii, 3, et Isa. xl, 3), vos qui paratis viam Domini.

3. O Domine, tu parasti directiones nobis, si modo nos recte ambulemus in illis. Tu legem posuisti nobis, viam justificationum tuarum, per illum scilicet, quem hujus sanctae institutionis Legislatorem dedisti: *Haec via*, inquit, *ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram* (Isa. xxx, 21). *Haec via plane*, sicut propheta promiserat: *Via directa nobis, ita ut stulti non errent per eam* (Isa. xxxv, 8). Junior fui, etenim senui; et non vidi, si bene memini, stultum errantem per viam: cum vix aliquem sapientem viderim, qui rectitudinem ejus tenere potuerit. Vae, qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes (Isa. v, 21)! quos sapientia vestra devios abduci a via salutis, nec sinit stultitiam sequi Salvatoris. Non ignorabat ille stultus propter Christum, quid haec sapientia terrena, animalis, diabolica mali faciat, qui dicebat: *Si quis sapiens esse videtur in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sapiens apud Deum* (I Cor. iii, 18). Optabilis stultitia, quae divino judicio reputatur sapientia, quae hominem non sinit errare de via. *Haec stultitia*, nisi fallor, est illa desursum sapientia, pudica, pacifica, modesta, suadibilis,

bonis consentiens (Jacob. iii, 17): a quibus omnibus quam procul abhorreat sapiens in oculis suis, utinam nunquam experientia ipsa probasset in oculis nostris. Si contristat vos arrogantia, seu pervicacia hujusmodi sapientium, consolatur abundantius nostrorum pax atque modestia stultorum, qui quanto minus sibi credunt, tanto suadibiliores bonis consentiunt. Tales itaque stulti non errant facile de via Dei, sed juxta verbum prophetae semper audiunt *vocem post tergum monentis: Haec via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram* (Isa. xxx, 21): ne scilicet per fervorem excedentes modum, aut per teporem subsistentes citra modum, legem praeciptam, viamque deseratis regiam. Spiritus est ad dexteram, caro est ad sinistram; et haec sibi colluctantia semper sibi adversantur, ut non quaecumque vult, sive ista, sive ille, faciamus: ne, si plus justo sequimur impetum spiritus, declinemus ad dexteram; aut, si plus justo carni indulgemus, deviemus ad sinistram.

4. Hanc denique viam justificationem Domini, viam veritatis quam elegistis, quanta laude praedicet Isaias, delectat me cum charitate vestra recordari. *Et erit, inquit, ibi*, id est, in antiquis cubilibus draconum, in terra utique deserta et invia, *semita et via*, sicut hodie cernere est: qui in feris et incultis hominibus, qui sine lege vivebant, in ipsis invenitur ordo vitae, et disciplina. *Et haec via*, inquit, *sancta vocabitur*: quia nimirum sanctificatio est peccatorum, perditorumque salus. Quanta vero virtute ac reverentia sanctitatis praemineat, inde probat propheta, qui *non transibit, inquit, pollutus per eam* (Isa. xxxv, 8). O mi Isaias, ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam? Imo potius huc omnes, huc veniant, huc incedant. Immundis enim praecipue Christus hanc viam stravit, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat in viis saeculi. Quid igitur? transibit pollutus per viam sanctam? Absit! Veniat quantumlibet pollutus ad eam, non tamen transibit pollutus per eam: quia cum transierit, jam pollutus non **921** erit. Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim abluit admissum; quia diluit omne commissum, tanquam vere baptismus alter poenitentium. Hic plane, hic baptizat, non Joannes, sed Jesus baptismo poenitentiae: hic patet fons domus David in ablutionem peccatoris et menstruae. Propterea namque via haec pollutum admittit, sed pollutum non transmittit: quia via arcta est, et quasi foramen illud angustum est, quo serpens innovandus cum exuviis suae vetustatis venire potest, sed cum ipsis transire non potest; sed novum suaeque nuditate melius vestitum, transitus angustia trajicit, extricans omnem, quem attulerat, squalorem vetustatis. Bene ergo prudentiam serpentis imitari rogamur, qui nec aliter innovari possumus, nisi per angustum coaretemur.

5. Sane quod illius antiqui serpentis insidias evadamus, si per hanc arctam viam hujus novi serpentis exemplum sequamur, Isaias promittit, qui

de eadem via subdit: *Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi* (Isa. xxxv, 9). Securi ergo simus, si de via non exorbitamus. Potest leo ille, qui circuit quaerens quem devoret, juxta iter scandala ponere, laqueos abscondere, viatores rugitu terrere: sed persistentes in via laedere non potest; quippe cui via ipsa terror et supplicium est. Fortitudo nempe simplicis, via Domini, et pavor his qui operantur malum (Prov. x, 29). Si ergo in via es, hoc solum time, ne devies, ne Dominum offendas, qui te per viam ducit, ut dimittat te vagum in via cordis tui: praeter eum ne timeas alienum. Quod si nimis arctam viam causaris, prospice finem, quo te via ducit. Si enim omnis consummationis videris finem, continuo dices: *Latum mandatum tuum nimis* (Psal. cxviii, 96). Si minus videre

A potes, crede videnti Isaiae, qui oculus tui corporis est. Ipse utcumque vivebat, cum id quod sequitur dicebat: *Et ecce ambulabunt hac via qui liberati fuerint, et redempti a Domino: et venient in Sion cum laude, et letitia sempiterna super capita eorum Gaudium quoque et letitiam obtinebunt, fugiet dolor et gemitus* (Isa. xxxv, 9, 10). Qui satis hunc finem cogitat, puto quia non solum viam dilatat sibi; sed etiam pennas, ut jam non ambulet, sed volet, assumit sibi. Semper ergo, fratres, cogitate finem praemiorum, et cum omni facultate et alacritate curetis viam mandatorum. Per ipsam vos deducat et perducat ipse, qui est via currentium, et bravium pervenientium, Christus Jesus; cui honor et gloria per omnia saecula saeculorum.

DE NATIVITATE DOMINI.

SERMO I

Qualia nos doceat Deus puer.

1. *Puer natus est nobis* (Isa. ix, 6). Puer antiquus dierum. Puer forma corporis et aetate: antiquus dierum, incomprehensibili Verbi aeternitate. Quanquam et in ipsa sua dierum antiquitate et si puer non sit, novus tamen semper sit; imo non tam novus sit, quam ipsa novitas in se semper manens et innovans omnia, a quo quaeque res prout recedit, inveteratur; prout reaccedit, renouatur. Et novo quodam modo unde antiquus, inde novus: quoniam quidem aeternitas ipsius sine initio nascendi, sine defectu veterascendi, ipsa est et antiqua novitas, et nova antiquitas ipsius. Alia tamen est novitas hujus temporalis nativitatis, quia puer natus est nobis innovandis, qui ab aeterno Deus natus est angelis beatificandis. Illa quidem nativitas amplioris gloriae, sed ista profusioris misericordiae. Ista siquidem propter me, qui misericordia indigebam, quoniam miseria circumdatus eram, et miseria quam expiare non poteram. Ostende nobis misericordiam tuam (Psal. lxxxiv, 8), qui nondum idonei sumus videre gloriam tuam: appareat benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, ut per hanc digni efficiamur et idonei, quibus appareat majestas et divinitas Creatoris nostri Dei. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, nostra indutam miseria, et novo miserendi genere de ipsa miseria miserorum operantem remedia. Ad hoc siquidem ars misericordiae beatitudinem Dei, et miseriam hominis in unitate Mediatoris temperavit; ut operante sacramento unitatis, per virtutem resurrectionis beatitudo miseriam absorbeat, mortemque vita deglutiat; et **922** totus homo glorificatus in divinae consortium naturae transeat. Usque adeo autem universitas infirmitates carnis, quibus ob culpam humana subjacet natura, absque culpa videlicet,

B dignatio suscepit divina; ut nec infantiae recusaret injurias, nec alia, quam communis habet conditio, sortiri vellet exordia: excepto sane, quod per Spiritum sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostrae originis emundabat, atque secundae nativitatis nobis sacramenta dedicabat.

2. Itaque *parvulus natus est nobis* (Isa. ix, 6), et Deus majestatis exinaniens semetipsum, non solum terreno mortalium corpori, sed etiam infirmiae ac pusillae infantium se configuravit aetati. O beata infantia, cujus infirmum et stultum fortius et sapientius est omnibus hominibus; quia nimirum Dei virtus, et Dei sapientia sua in nostris, divina operatur in humanis! Hujus siquidem infantis infirmitas principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captivat, et captivitatem nostram absolvit et liberat. Hujus infantis muta, ut videtur, et elinguis simplicitas linguas infantium facit disertas; linguas hominum loqui facit et angelorum, linguas dividens igneas: inscius iste, ut videtur, ipse est qui docet hominem scientiam et angelum, tanquam vere Deus scientiarum, Sapientia Dei, et Verbum. O sacra et dulcis infantia, quae veram humanis innocentiam refudisti, per quam omnis aetas in beatam redeat infantiam; tibi conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, et pietate morum. Prorsus vos filii Adae, qui nimis grandes estis in oculis vestris, et in giganteam enormitatem per superbiam excrevistis; nisi conversi fueritis, et effecti sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum caelorum (Matth. xviii, 4). *Ego sum ostium* (Joan. x, 9) regni, ait parvulus iste: nisi incurvetur altitudo virorum, non eos admittet humilitatis janua. Ideo nimirum conquassabit capita in terra multorum (Psal. cxi, 6); et qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? adhuc tu superbis, terra et cinis, postquam Deus factus

est humilis? adhuc magnus es in oculis tuis, postquam Deus parvulus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinanivit ut pene videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: et tu in immensum inflaris et extolleris, existimans te aliquid esse, cum vere sis nihil! ipse te seducis (*Galat. vi. 3*), clamat tibi Apostolus; cum, etsi aliquid esses, si magnum aliquid esses, tanto magis humiliari te oporteret. *Quanto, inquit Sapiens, magnus est, humilia te in omnibus: et invenies gratiam coram Deo (Eccli. iii, 20), qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jacobi iv, 6 et I Petr. v, 5); qui et ipse, ut tibi fieret exemplum, cum esset maximus omnium, factus est humillimus omnium et minimus. Parum erat ei, ut fieret minor angelis conditione mortalis naturæ, nisi et hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiae. Videat igitur pius et humilis, et gloriatur, videat impius et superbus, et confundatur. Videat, inquam, Deum immensum, parvulum factum, et infantulum adorandum, stupendum mysterium, redemptionem piorum, gloriam humilium, iudicium impiorum, ruinam superbiorum. O venerandum ac tremendum mysterium! Quam sanctum et terribile est nomen tuum, fons misericordiarum, et abyssus iudiciorum! Quis de hoc fonte bibit, et non amavit? quis banc abyssum consideravit, et non expavit? Qui non amavit, nequam et impius est: sicut qui non expavit, vecors et insensatus est. Nihil tamen est cur iudicium expavescas, si non adversus misericordiam insolescas. Et ipse, siquidem mallet amari, quam serviliter timeri: magisque probat quod liber ac voluntarius offert affectus filiorum, quam quod coactius extorquet metus servulorum. Ideo et nunc cum primo se manifestavit mortalibus, puerum se mallet exhibere, magisque amabilis quam terribilis apparere: ut, quia salvare veniebat, et non iudicare; præferret interim unde provocaret amorem, differret unde incutere posset timorem.*

3. Cum fiducia igitur accedamus ad thronum gratiæ ejus, qui nec cogitare sine tremore poteramus de throno gloriæ ejus. Nihil hic terroris, nihil severitatis quam metuas; sed omnimoda benignitas atque mansuetudo, de qua præsumas. Et si potestas et terror apud ipsum est, **923** totum tamen interim dissimulat, donec poenitenti pareat, confidentem recipiat. Ne sit tibi scrupulo, quod graviter deliquisti: nescit puer læsus irasci; aut, si irascitur, facile potest placari. Vere nihil placabilis animo hujus pueri, qui in hoc ipsum pacem tuam satisfactionemque prævenit, priorque legatos de pace mittit: ut qui reus es, velis reconciliari. Tantummodo velis, et vere perfecteque velis; non modo veniam indulgebit, sed et gratiam cumulabit: quinimo lucrum non medioere deputans, ovem recuperasse perditam, diem festum agere cum angelis. Conguebat ergo cum divina mansuetudine ætas innocentis ac facilis infantiae, satisque convenienter et commode salutem peccatorum ab hac

A exorditus est ætate; ut quos reatus propriæ terrebatur conscientiae, spes consolaretur non difficilis indulgentiæ.

4. O puer dulcissime, Jesu bone, quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, et perficies sperantibus in te, qui tantam exhibuisti necdum scientibus te! Prorsus dulcedo incomparabilis, et pietas ineffabilis; ut Deum qui creavit me, videam puerum creatum propter me: Deusque majestatis et gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, et velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Vere tu puer Deus, salutare vultus mei, et Deus meus, cum totus sis dulcedo, et desiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorum. Hæc nimirum te capabilem facit sensibus et affectibus parvulorum, qui nondum sunt te solidum idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorsus et sapidum, cogitare puerum Deum: quin etiam efficax et operatorium ad medendum, ac dulcorandum, si quis in nobis est, rancorem animorum, sermonum amaritudinem, morum austeritatem. Neque enim crediderim, ubi sensus et memoria fuerit hujus divinæ dulcedinis, locum iræ vel tristitiæ inveniri: sed omnis indignatio, et amaritudo cum omni malitia tollitur a nobis. Ita fiet ut quasi modo geniti infantes, modo genitum infantem Dominum digne laudemus, et in consonantia morum et vocum, ex ore infantium et lactentium perficiatur laus infantis, et lactentis Domini Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto laus et jubilatio, per æterna sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

Quale donum, contemnebat Synagoga, suscepit Ecclesia.

1. *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis (Isai. ix, 6).* Inde probatur quod natus est nobis, quia scilicet datus est nobis. Illis enim recte dicitur natus, quibus videtur datus. Et omnibus quidem gratia nativitatis hujus oblata est, sed non ab omnibus suscepta est. Non enim omnium est filius. In propria venit, et sui eum non receperunt (*Joan. i, 11*). Inutiliter autem natus esset nisi et datus esset: frustra factus esset filius hominis, si non recepissent eum filii hominum, quibus daret potestatem filios Dei fieri. Væ igitur, Judæa incredula, ingrata et impia: ablatum est a te regnum Dei, et datum est genti facienti fructus ejus. Ejectus Jesus est de Synagoga, sed susceptus est ab Ecclesia. Ejectus est de contradictionibus Judæorum, constitutus est in caput Gentium. Ecce populus, quem non cognovit, servivit illi, auditu auris obedivit ei; cum de vobis filiis alienis, filiis sceleratis et parricidis, sit pii patris illa querela terribilis: *Filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem spreverunt me (Isai. i, 2)*. Sed, qui spernit, nunquid non et ipse spernetur? *Quia repulistis verbum Dei, inquit apostoli, et indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce*

convertimur ad gentes. (Act. xiii, 46). O felix gentilitas! ecce affertur tibi Jesus: curre obvius manibus, extende manus, expande sinus, devotionem tuam probet tam actus quam effectus; filium qui tibi offertur, suscipe fide, amplexare affectu; semperque inter ubera tua commoretur. Et ecce videor mihi audire vocem exultationis et confessionis de cunctis partibus orbis; a finibus terræ laudes audio, gloriam justis. Est autem sonus ut multitudinis, ut sonus castrorum D. i, vox una laudantium et dicentium: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis (Isa. ix, 6)*. Ipsa **924** est, ni fallor, Ecclesia lætabunda, et laudans, toto orbe terrarum; pro eo quod sibi natum, sibi datum amplexatur filium, quem oblatum, sed ablatum merito videt perfidiæ Judæorum. *Lauda, sterilis, quæ non parturiebas: quia per hunc filium qui datus est tibi, multi erunt filii desertæ, magis quam ejus, quæ vinculo legis Deo maritata (Isa. liv, 1), ei videtur adhærere. Tunc mirabitur et dilatabitur cor tuum (Isa. lx, 5). Tunc dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva: et istos quis enutrivit? Ego destituta et sola, et isti ubi hic erant? (Isa. xlix, 21.)* O mater incorrupta, virgo fecunda, filius, qui datus est tibi, hos tibi dedit. Est enim Filius Altissimi, cui Pater istos adoptavit, ut sint omnes conformes imaginis ejus, et sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Dilatata, inquit, itaque locum tentorii tui ab ortu ad occasum, et a mari ad mare, quia ad dexteram et ad lævam penetrabis, et semen tuum gentes hæreditabit (Isa. liv, 2, 3).* Iste namque unigenitus Mariæ, primogenitus est omni creaturæ, cui dicitur a Patre: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ (Psal. ii, 8).*

2. Sicut autem, suscepto Dei Filio, Ecclesia sterilis peperit plurimos, et roborata est: ita ipso ejecto, æmula ejus Synagoga, quæ multos filios habebat, infirmata est. Ideo enim hodie Ecclesia gratulabunda de dato sibi filio gratiarum actione et voce laudis replet coelos: illa muta sedet in tenebris, aut certe ejulatu fatigat inferos. Misera et cæca, cur non advertit quam manifeste Deus ejus ad nos transierit; quam evidenter ipsa repudiata, solumque retinente libellum repudii, litteram dico legis, quæ adulteria ipsius, coarguit, universam dotem ipsius ad novam Sponsus nuptam transtulerit? Ecce in manibus nostris tabulæ matrimonii, in duobus Testamentis; ecce sacramenta unctionum, dignitas regum, ordo sacerdotum, ministeria levitarum, cultus templi et vasorum, sacrificiorum veritas, omnis denique ipsorum gloria, translata ab ipsis, collata est nobis, quia causa et veritas omnium, *Filius datus est nobis*. Ipse calicem legis, quæ in manu est Mediatoris, ex hoc Judæo in hunc Christianum inclinavit. Et omne quod in ea merum ac verum fuit, eliquatum nobis transfudit: fæx sola, quæ non est exinanita, apud Judæos re-

A mansit; ipsam bibunt, ipsa pars calicis eorum. 3. Sed quid verbis moror? Numquid enim potest enarrari, quæ et quanta sunt data nobis, cum iste Filius datus est nobis? Nonne omne datum optimum, et omne donum perfectum ab ipso, et cum ipso, pariter ad nos descendit? nonne universas opes cœli, omnes thesauros Dei, secum nobis advexit? qui licet adhuc in ipso contineantur absconditi, multa tamen jam et magna, et quasi donativum pugnaturis erogavit; sed nihil omnia ad ea quæ victoribus reservavit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum, nostrorum scilicet varietatem armorum, subsidia Sacramentorum fercula Scripturarum, gradus et ordines ministrorum; in omni ætate, sexu, et conditione, ratione et lingua, tot martyrum trophæa, confessorum insignia, virginum coronas? si miraris, inquit Ecclesia, unde repente mihi pauperculæ hæc multitudo divitiarum, et magnitudo gloriæ: inde nimirum, quia Filius Dei datus est nobis, Deus gratiæ, Dominus virtutum, et Rex gloriæ. Imo magis mirum esset, si non sequerentur Dominum bona sua, cum etiam ipse sit omnia bona. *Inquirentes, inquit, Dominum, non minuuntur omni bono (Psal. xxxiii, 11);* quanto magis suscipientes? Si enim miraris ista nobis per Filium data, ego (ut plus mireris) adjiciam omnia omnino nobis cum illo esse donata. Cum enim Filium, per quem et in quo omnia subsistunt, Pater nobis donavit, quomodo non omnia nobis cum illo donavit? (*Rom. viii, 32*.) Omnia nostra sunt, ait Apostolus, quia noster est auctor omnium Dominus; ut, etsi videamur tanquam nihil habentes, inveniamur tamen omnia possidentes. Vides igitur quantum, et quale datum sit Filius; quamque probabile sit quod de Sapientia, quæ ipse est, legitur: *Venerunt mihi omnia bona cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius (Sap. vii, 11).* Quare autem hoc ita inculco, fratres mei? Quare, nisi ut discatis **925** gloriari, quia *filius datus est nobis*; et quidquid mundus potest dare, aut promittere vobis, non modo vile et indignum ad illum, sed etiam detrimentum propter illum deputetis? Non quomodo mundus dat, dat ille vobis: tantum grati estote, quia datus est vobis, et satagite ut amplius et perfectius deur vobis. Qui enim semel datus est mundo in forma carnis, et certis diebus aut horis datur fidelibus in specie panis, scilicet in esu Sacramenti sui, sæpius et incertis horis datur devotis, in gustu spiritus sui. Primum, ad redemptionem; secundum, ad sanctificationem; tertium etiam ad consolationem. Primum exigit ut fides sit recta; secundum, ut conscientia pura; tertium, ut devotio prompta. Hæc mentem elevat, ut gratiæ occurrat; cor aperit, ut excipiat; affectum dilatât, ut plurimum ipsius capiat. Non solum autem istam, sed et omnem gratiam abundare faciat in vobis, Deus omnis gratiæ, Filius, qui datus est vobis, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De admirabili Dei cum homine commercio.

1. *Puer natus nobis* (Isa. ix, 6). Nobis prorsus; non enim sibi, non angelis. Sibi, inquam, natus non est, ut scilicet hac nativitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, et perfecta beatitudo sibi erat, quia de Deo perfecto perfectus Deus natus erat. Angelis natus non est; quia nec angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat; nec illius qui ceciderat, casus reparabilis erat. Ideo nusquam angelos apprehendit, sed semen apprehendit Abrahæ (Hebr. ii, 16); et qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis: se quodammodo relinquens, et angelos transiliens, ut ad nos usque deveniens unus fieret e nobis; et exinanitus a semetipso, minoratur ab angelis, ut æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi et angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus est nobis redemptio; quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ nativitatæ præiudicio. Quam felix, quam amabilis nativitas tua, puer Jesu, quæ nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præiudicium solvit, chirographum damnatæ naturæ rescindit: ut si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissime renasci! Quotquot autem receperunt eum, dedisti eis potestatem filios Dei fieri (Joan. i, 12). Gratias agimus gratuita atque gratiosæ nativitati tuæ, Deus filii hominis, per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei (Rom. v, 2). Prorsus admirabile commercium. ut sumens carnem, largiaris deitatem! commercium, inquam, charitate, non cupiditate contractum; indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiam meam omnino lucrosam. Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit: licet pariter misericordia et veritas in te obviaverunt sibi (Psal. lxxxiv, 14). Vere, inquam, tu misericors puer, natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua nascens de nobis quæstisti, quia ad hoc solum nasci dignatus es, ut nos minoratione tui proveheres, humilitatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti: tu enim omnem tuæ plenitudinem divinitatis in hominem transfudisti. Transfudisti, sed non confundisti. Transfusum tamen Deum in hominem non dicere, si ad mensuram datum huic homini spiritum audirem: si de omni sua plenitudine penes Deum aliquid recedisset, quod non in hominem, cui unitus est, effudisset.

2. Merito igitur oleum effusum nomen (*Cantic. i, 2*) Dei hominis, vel certe unguentum exinanitum; cum ita funditus Dei in hominem effusus sit, ut eum semetipsum exinanisse (*Phil. ii, 7*) confiteatur fides Apostoli. Quanquam sic utique se exinanivit, ut in se ipso nihil prorsus minuerit, aut mutaverit; nec alia esse potuit naturæ immutabilis exinanitio, quam naturæ nostræ, quæ terra inanis

et vacua est, assumptio. Magna prorsus exinanitio ista in oculis videntium, ut splendor gloriæ et figura paternæ substantiæ, non nisi formam præferat servilem, et in ipsa non habens speciem neque decorem. Quasi enim parum exinanitus esset, **926** si homo solum fieret, etiam humanæ carnis gloriam ita funditus in se vacuavit, sapientiam infatuavit, infirmavit virtutem, minuit magnitudinem; ut et in nativitate minimum, et in passione se exhiberet novissimum virorum: unde nec reputaverunt eum. Vis autem videre Deum exinanitum a semetipso? vide jacentem in præsepio. *Ecce Deus noster* (Isa. xxv, 9), Isaias ait, qui de tam longinquo vidit, et cognovit præsepe Domini sui, imo Deum in præsepi, *Ecce*, inquit, *Deus noster*. Ubi, quæso? In præsepio, inquit. Infantulum quidem ibi invenio. Huncine tu dicis illum esse, qui dicit, *Cælum et terram ego impleo* (*Jerem. xxiii, 24*): imo cuius majestati angusta est omnis cœli latitudo? Pannis involutum video. Huncine tu dicis illum esse, qui gloriam et decorem induit lucis inaccessibilis, amictus incircumscripito lumine sicut vestimento? Vagientem audio. Huncine est qui in cœlis tonat, sub cuius vocis tonitruo potestates angelicæ submitunt alas suas? Sic est, inquit alius propheta satisfaciens pro Isaia, omnino sic est: *Hic est Deus noster*, sed exinanitus est, ut te repleat, et a se quodammodo deficere voluit, ut te reficiat. Conclamat omnis chorus prophetarum uno spiritu, eademque sententia, etsi aliqui voce diversa, sic est: *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius præter eum* (*Baruch. iii, 36*); neque enim est alius præter eum. Sed scio, inquit David, scio, quia non credet signo huic, sed contradicet generatio prava et adultera Judæorum; enarrate vos, apostoli, in progenie altera Gentium. Quid? Quoniam hic quem Judæus jacentem in præsepi nec respicit, pendentem in cruce despicit; cum miro modo nascitur, non videt; cum mira operatur, invidet; cum dira patitur, irridet: *Hic*, inquam, *hic est Deus noster in æternum et in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula* (*Psal. xlvii, 15*).

3. Et ecce jam prædicantibus apostolis, testificantibus prophetis, etsi vellus siccatum est, sed aræ latitudo infusa est (*Judic. vi, 39, 40*): etsi cucurbita aruit, Ninive salvata est (*Jonæ iii et iv*); et amissio Judæorum, divitiæ facta mundi, et salus gentium. Adorant omnes reges terræ parvulum qui natus est nobis, omnes gentes serviunt ei: quia si qui sunt qui non serviant, vel non sint servituri, quasi non sint, sic sunt coram eo, (*Isa. xl, 17*); gens etiam et regnum, quod non servierit ei, peribit. Jam tamen videmus et gaudemus impletum, quod per Isaiam fuerat a Patre promissum: *Viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, te adorabunt, teque deprecabuntur*. Et merito, inquit, quia *in te tantum est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator* (*Isa. xlv, 14, 15*). Si unquam

manifestius, si expressius potuit dici Jesus Deus, nunquam eredit Judæus: aut certe si derogat hæc esse dicta de Jesu, ostendat alium in quo sit Deus, et qui sit Deus, nec præter eum Deus; quandoquidem nec personarum Trinitatem fatetur, ut assignare possit Deum, in quo sit Deus, ita ut alius Deus præter eum non sit. Sed te, perfide, scandalizat, quod ad pietatem ædificare debuerat; quod scilicet Deus absconditus, et homo oculis adhibitus est, tanquam lutum ex sputo, quod ad videndum Deum cæcum illuminaret. Hoc, inquam, scandalo tibi est, quod in infirmitate carnis abscondita est fortitudo Dei; et in infirmitate crucis abscondita est fortitudo hominis Dei; quod inglorius inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum: unde nec reputasti eum, sed putasti quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum; cum Deus posuerit in eo iniquitates omnium nostrum (*Isa. liii, 4, 5*). Nam et tuam quoque suscepisset, si tu eam vel ad extremum deponere voluisses. At tu, miser, non deponis, sed apponis iniquitatem super iniquitatem; super sanguinem prophetarum, sanguinem Filii Dei et Apostolorum. Impone igitur, quandoquidem ita vis, impone jugum iniquitatum tuarum, tibi et filiis tuis: mihi enim regnum Christi portare magis decet, ut meas ipse portet iniquitates. Tu porta colligationes impietatis, fasciculos deprimentes: ego portem fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligavit, panisque involutum in præsepi reposuit.

4. Vos igitur, fratres mei, qui cognovistis præsepe Domini vestri, Dominumque in præsepi, quem Israel non cognovit: vos, inquam, quibus Salvator ideo non viluit, **927** quia misericors esse voluit; sed eo vobis tenerior in affectu, quo minor est in aspectu: cantate, et exsultate et psallite, *Puer natus est nobis, filius datus est nobis*. De Judæis quidem est natus, sed nobis est natus; quia illis ablati, nobis est datus. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus salutare suum* (*Psal. xcvi, 1-3*): adeo ut et asinus de Gentibus cognoscat in præsepi Dominum suum, fenum sibi factum, quia omnis caro fenum (*Isa. xl, 6*). *In conspectu namque Gentium revelavit justitiam suam* (*Psal. xcvi, 2*): quam Judæus ignorat, velum adhuc habens super faciem suam. Velum habet, quia zelum tenet: unde nec velum videt, sed invidet quod *puer natus est nobis, filius datus est nobis*. Nec invidet, quod cupiat habere sibi, sed quod cupiat perire et mihi et sibi. Mallet æmula et mala meretrix infantem necari, quam vivum mihi dari. Sed iudicium nostri Salomonis, cujus sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda et renes, in inveniendâ matre non erravit: *Date*, inquit, *Ecclesiæ infantem vivum: hæc est enim mater ejus* (*III Reg. iii, 26, 27*). *Quicumque enim fecerit voluntatem ejus, ipse mater, et frater, et soror ejus est* (*Matth. xi, 50*). O Domine Salomon, tu matrem dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Christi sum: fiat mihi secundum verbum

tuum (*Luc. i, 38*). Et quidem matrem amore et sollicitudine me præstabo, quantum potero; sed conditionis meæ semper memorero.

5. O fratres, hoc nomen matris non est singulare prælatis, quamvis specialis eis incumbat cura maternæ sollicitudinis et pietatis: commune est et vobis, qui facitis voluntatem Domini. Utique et vos matres estis pueri qui datus est in vobis, et in vobis, ex quo videlicet a timore Domini concepistis, et parturistis spiritum salutis. Vigila igitur, o mater sancta, vigila super curam recens nati, donec formetur in te Christus, qui natus est tibi, quia quo tenerior est, eo facilius potest perire tibi, qui nunquam perit sibi. Spiritus siquidem qui in te est, si tibi extinctus fuerit, redit ad Deum qui dedit illum. Vigila, inquam, super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quæ est enim illa, nisi carnalis anima, quæ spiritum exstinguit negligentia et inertia. Hujusmodi homines, cum religionis amiserint fervorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriam et nomen. Inde contentiones carnalium adversus spirituales, etiam in capitulis, ubi verus Salomon invisibiliter iudex præsidet. Filius meus, inquit carnalis, vivit, et tuus mortuus est: ego spiritum Dei habeo, tu non habes; in me vivit amor Dei, in te mortuus est: dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem, cujus spirituales habent veritatem; ut subducta eis auctoritate, consuetudines inducant pro sui sensus libidine. Et revera quidem mater vult æmulæ dari vivum et integrum infantem, non invidens ei gloriam, dummodo habeat et virtutem, sed illa, *Nec mihi, inquit, nec tibi sit, sed dividatur* (*III Reg. iii, 26*); quia nimirum sanctitatis sibi cupit retinere honorem, et allis relinquere laborem. Sed non erat qui iudicat, etsi aliquandiu dissimulat. Gladius Salomonis matrem invenit, cui adjudicat indivisum, sicut affectum charitatis, sic effectum potestatis; sicut fervorem operandi, sic favorem imperandi. Vos itaque, fratres, in quibus fides per dilectionem operans nata est de Spiritu sancto custodite eam, pascite, nutrite, tanquam parvulum Jesum, donec formetur in vobis puer qui natus est nobis; qui non solum nascendo, sed vivendo et moriendo, formam cui conformemur tradidit nobis: memor quippe semper, quod non nisi nobis natus fuit, nec nisi nobis vivere voluit, nec mori nisi pro nobis, qui pro se non habuit; ut et nos per ipsum renasceremur, secundum ipsum viveremus; in ipso moreremur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De plenitudine temporis a Christo allata.

1. *Ecce jam plenitudo temporis* (*Galat. iv, 4*). Plenitudo ista temporis apud Paulum accipitur, seu propter abundantiam gratiæ, seu propter adimplerionem præcedentis prophetiæ **928**, seu propter pleniorum ætatem fidei adultæ. De singulis